



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1602

Meginfredi Magdeburgensis Magistri Et Præpositi De Vita Et Virtutibus B.
Emmerammi Liber Vnus nunc primum ex m. s. editus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

I
MEGINFREDI MAG.
DEBURGENSIS MAGISTRI ET
PRÆPOSITI DE VITA ET VIRTUTI.

BY S. B. EMMERAMI LIBER VNVS

nunc primum ex m. s.

editus.

PROEPIUM LIBRIDE ME-
MORIA * B. E. ET EIVS AMATO-

RVM.

* Beati Em-
rami.

INTER cætera Myſteriorum cœ-
lestium Sacramenta, veteris legis testan-
tur scripta, quod ad ædificationem ta-
bernaculi Principes tribuum, & ditiores
qui; in populo DEI pretiosa diuino iussu,
obtulerunt donaria. Quorū piæ oblationi & pauperiores
eodem præcepto conducti, indices mentium deuota-
rum, etiam pilos addiderunt caprarum. Quid autem no-
ua lex super hac re contineat, seu qua conuenientia pris-
cæ respondeat, Christus in Euangelio suo palificat; *Marc. 12.*
qui duo pauperis viduæ minuta prætulit his, quæ diuites *Luc. 21.*
iactabant, seu in gazophylatium mittebant. Quod
quidā vir officio Apostolicus & merito, egregia prædica-
tione quasi de cælo intonans, breuiter perstringendo ex-
posuit, dicens: Regnum cælorum valet, quantum habes.
Cui scilicet sententiæ concordat, quod sacra Scriptura *Luc. 12.*
aliās clamat: Cui plus committitur, plus ab eo exigitur.
Vnde

1. Cor. 1.

Psalm. 75.

Iacob. 1

Psalm. 33.

Luc. 13.

Vnde is, qui multum habet & illud Apostoli diligenter attendere debet: Qui gloriatur, in domino gloriatur. Qui verò minus accepit, id ipsum minime ducat negligendum; sed de eo pro posse & nosse conetur elaborare aliquid quod utile sit. In quo haud segniter exequendo quicumq; diuino muneri reuerentiam exhibuerit, debitum exactionis persoluit Scripturæ, quæ dicit: Vouete & reddite Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu eius affertis munera. Ex ipsius quippe donis, qui largitor est omnium bonorum, accepimus, si quid ei piè dignèq; afferimus, vel si in aliqua re votorum nostrorum redditionem exsoluere poterimus. Hinc & Iacobus Apostolus, eorundem processionè donorum commendans, ait: Omne donum desursum est descendens à patre luminum. Ad cuius illuminationem Psalmista nos appropinquare exhortatur dicens: Accedite ad dominum & illuminamini, & facies vestræ non confundentur: Verè ad eum accesserunt, qui dono illius illuminati, Ecclesiastica factis & verbis tractando Sacramenta, illam faciei meruerunt gloriam, quã ipse Sol Iustitiæ visione sua parauit electis sempiternam. Horum quippe exemplis & doctrina, dum voluitur huius mundi rota, Christus gratum in suis arboribus inueniet fructum. Quem quia velut inutilis stirps, in mea arbore non habeo, timeo mihi valde, ne paterfamilias sterilitate prauitatis meæ offensus, dicat, Vt quid occupat terram? Succidite eum & mittite in ignem. Quem reprobis terribiliter paratum & à peccatis meis, pro dolor, sæpe comparatum, vt effugere possim, inter fluctus cogitationum æstuanti occurrit animo, hoc optimum fore remedium, quo non cessem querere præsidia Sanctorum, sedulo laudibus inhzendo eorum; vt & ipsi apud misericordissimum dominum, dignentur mihi veniam impetrare delictorum, Sed

DE VITA S. EMMERAMMI.

Sed fortassis dicit aliquis, Quid ad te? potuit eupho-
niæ officio vsq; in diem & horam qua Deo dilecti Marty-
ris calæ restitutum * etsi insensibile præsentiam domini sui
sensibus humanis se sentire indidit, ac dulciter vniuit.

Veretua Christe hæc sunt opera, qui crederis & es
æterni patris sapientiã. Cui Dauid corde iubilans cla-
mat, Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ domine, *Psalm. 301*
quam abscondisti vimentibus te. Et iterum: Auditui meo *Psalm. 50.*
dabis gaudium & lætitiã; & exultabunt ossa humiliata.
Cuius desiderio delectatus, nomini tuo credentes, in fi- *Psalm. 150.*
ne Psalmorum, ad perfectionis laudes prouocans, ait:
Laudate dominum in cymbalis bene sonantibus; laudate
eum in cymbalis iubilationis. Ecce humanæ salutis ama-
tor, generis nostri factor & reparator, qui etiã benignus
es super ingratos & malos; per parua ac insensibilia, ope-
raris magna, nec non mirabilia, vt homines cordatos be-
nedictione tua efficias coaptatos. Hanc siquidem, qui au-
re cordis perceperint, & in eius obauditione vsq; in finem
perseuerauerint, minime pauebunt in die nouissimo, nec
aures eorum tinnient ab auditu malo, quando inimicus *Psalm. 118.*
exultans super interitu impiorum, se iactauerit dicens:
Præualui aduersus eos. O Iesu bone, quid nos peccato- *Psalm. 12.*
res ibi dicturi sumus, vbi vix iusti saluabuntur? Non est
nobis spes altera, nisi quam definit ille tuus electus Psal-
mista, qui fuit Rex & Propheta, totis medullis ad te clamitans *Psalm. 142.*
cordis: Spes mea estu, portio mea in terra viuentium.
Quam in tuo nomine, dum tempus est misericordiæ, à Pa-
tre postulandam didicimus per euangelicam doctrinam.
Sic enim tuum ô veritas habet Euangelium: Ambulate *Ioan. 12.*
dum dies est, ne tenebræ vos comprehendant. Dû lucem
habetis, credite in lucem, vt filij lucis sitis: Et illud excusa-
tionis humanæ exclusorium diligentissimè adtendendum,

Matth. 22.
Ioan. 15.

nec non intimis suspirijs annitendum ; Quodcumq; petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Petimus ergo ad te conuersi Pater Domini nostri Iesu Christi, vt in nomine eiusdem vnigeniti tui, cuius caritatis Beatus EMMERAMVS Martyr tuus imitator exstitit singularis, ineffabili & solita circa peccatores vsus clementia, confitentibus & confessis dimittas impietatem cordis; ac infundas vnctionem tuæ vberrimæ consolationis, nec non confirmes in nobis opera diuinæ miserationis; vt quod in hoc sæculo dulce ac delectabile videtur, timoris tui reuerenda consideratione amarescat: & quod amarum; dilectionis tuæ suauissima speculatione, dulcescat. Sicq; dum ipse voluitur mundus, à lapsu & amore peccatorum, te resuscitante, surgamus, ne in fine sæculorum, cum omnes homines resurrexerint cum corporibus; in æternum confundamur ac puniamur: Sed emptitij serui nunc cum collibertis, gratia tua digni effecti, tunc etiam tuis cum amicis semper mansuris deputati gaudijs, securi videamus Dominum Iesum filium tuum liberatorem & Episcopum animarum & corporum nostrorum, Iudicem iustum viuorum & mortuorum, tecum viuentem atque in vnitate Spiritus sancti regnantem, per immortalia sæcula sæculorum, Amen.

AD PROVISOREM SANCTI
EMMERAMMI
QVIV DEBEAT IPSI ET RA-
TIONI
* P. A.

* Purchardus
Abbas.
Vide notam.

* Arnolfus Co-
mes de Cham
& Vochburg

DOMINO Purchardo ad optima quæq; haud tar-
do, pro paterna quidem dignitate reuerendo, ac
plurigena probitate diligendo, * Arnolfus adpri-
me sibi vtpote abbati, exin cæteris merito suppositus,
verun-

veruntamen rebus monasterij præpositus; quicquid fidelis domino seruus, seu magistro discipulus. In primis cum Beatissimi Martyris Emmerammi patrocinii non ego solus, sed etiam mecum eius generalis monachorum cœtus gratificatur Deo, ante hac misericordiam suam multipliciter paruitati nostræ impertito, nunc verò solita clementia circa nos manifestius vso; In hoc procul dubio, quòd vos tali de loco destinavit ad nos, in quo hactenus ipso donante & sanctissima virgine Maria adiuuante abundant patres ac fratres, siue apud Dominum siue apud seculum valde nobiles & laudabiles, qui cum ratione, sua nouerunt. ⁸ Vnde & ego vltimus veræ rationis sub regimine, probandæ præsentem scribere epistolam: quæ quamuis ueracem & historicam partem videatur continere, tamen in ueritate prænominati nec non sæpe nominandi Patroni nostri dulcissimæ tota famulatur memoriæ. Igitur libris in diuinis legendis & intelligendis, peccatis meis facientibus, admodum fui segnis; & ut verum fatear, adhuc non sum indemnus. Cuius emendationem vitij, ut cæterorum, cum habere possem, exemplis maiorum; impedimento erat, **NOLLE**; & abusu illud, quod dicunt, **NEGligere**. Quadam autem die quendam è fratribus; concretum & conscholasticum meum, præsentem me, aculeum mortis contigit obire. Is ergo in ipso mortis articulo quid viderit, etiam non loquens astantibus patefecit. Natum leuatum è lecto humi deposuissimus, primum brachiis quasi contra aliquem relictus, demum ad sinistram acutissime flectens, ⁹ **hinc**, adeo abhorrebat à facie inimici, ut oculorum ¹⁰ **rotatione** capitisq; auctione ac impulsu, ut gestum ¹¹ **primam**, capitali, penè loco sibi astantes

tes propelleret: & vt patefaceret, quantum Christi fides valet, vbi meritum habet, quantum uic deest, vbi mortua est; nifu quo potuit dextram manum extendit, signum salutis facere volens; sed exprimere minime valens, subita concussione contremuit, ac pallore obductus irriguit. Sicq; exhalauit. Nos verò singulibus, psalmodiam intercipientibus, omnes pariter in luctum conuersi sumus. Quis enim ibi non fleret, vbi quisq; infirmitatis propriæ conscientiam commonitus, vix effari posset præ fletibus? cum & ego post annos aliquos, teste Christo, haud absq; gemitu & fletu hæc scripserim, memoriamq; tradiderim. Iuuenis namq; floridus, frater etiam coætaneus, in puerili lasciuiâ consentaneus, super quo innitebar bacul^o arundinis, ^{is, cuius est mihi in colubrum,} ita vt fugerem. Iⁿ ^{absterrens} subdaxi me, quibus eatenus, ob gloriolam seculi, adhæsi libris paganis; & saniore consilio implicabar diuinis. Tunc primum cœpi discernere, quæ distantia esset inter lucem & tenebras, inter dominum & Belial. Tum quoq; aliquantulum ad me reuersus, ex parte collegi, qui fuerint scriptores Ecclesiastici. In quorū varietate pulcherrima enotaui, beatissimum Christi confessorem HILARIUM alti cordis virū: quàm longe sit à lectione simpliciorum fratrum; Ambrosium: quàm disertus & orthodoxus; Ioannem Constantinopolitanum: quàm iucundus & aureus; Gregorium Nazianzenum: doctor quàm mirificus & anastasis; Hieronymum: quàm breuis & rectus; Augustinum: quàm facundus & profundus; Gregorium Papam Romanū: quàm dulcis & clarus; Isidorum Hispanum: quàm succinctus & distinctus: Hi siquidem & horum præcessores & successores valde venerabiles & vtiles operatores iam abundanter hauriebantē fontibus Saluatoris, quæ dulcissima carita-

E/ai. 12.

carita-

caritate propinarent nobis. Quorum cum legissem opera, quæ peritissimis probabilia, mihi vero pro captum meo videbantur etiam mirabilia, auctoritate simul & venusti sermonis dulcore delectabar. Sed contrariò admodum amaricabar in gestis videlicet domesticis clarissimi patris nostri Emmerammi Martyris dudum à quodam, qui se * CIRINYM & HEREDEM nominat, Frisingensis Ecclesiæ Episcopo, ut puto rectè scriptis, ante nos autem maiorum negligentia deprauatis. Quæ cum, Abbate id petente, fieri quoque permittente, simplici animo emendare vellem, & in confusionem loci nostri diutius incorrecta stare nollem, consurgunt aduersum me quorundam animi fratrum dicentium, haud æquum, à me dictis antiquitatis quid addi vel minui; maxime cum hæc peritiores ac perfectiores omiserint. Quibus videtur probum meapte sic temperare responsum, Quare illi hoc fecerint, immò, quod vtile fuit hac in parte non fecerint, à vilitate mei temerarium est discussum iri. Hoc tantum dixerim pace eorum & omnium bonorum, quia non solum nouis vetera licet mutare, sed etiam, si sint inordinata, penitus abiicere, sin vero ordinaria, sed minus utilia, cum veneratione sepelire. Et quia dispensatione diuina, à præcedentibus multa relinquuntur sequentibus, in quibus possint mereri alicuius aut admissionem aut remissionem peccati. Quod cauendum huiuscemodi simplicitate, seu, quo verius dicam, stoliditate, etiam rustici nos monent, qui peccare illos putant, qui arbores succidant, in quibus Pagani augurari solebant. Quid plura? cedens æmulis ad tempus, per Abbatis imperium abripui me in SAXONIÆ exilium, portans mecum in libello suo sanctum Emmerammum, qui suum me voluit esse seruum. Ibi me simulando scire, quod nescio, MEGINFREDVM
P A R-

* *Cyrinus scri-
ptor vite S.
Emmerammie
male autem à
Surio appella-
tur Episcopus
Ratisponensis
Vide Notæ.*

*Meginfredus
Magdeburgē-
sis magister.*

PARTHENOPOLITANVM Magistrum, pauculis beneficijs, paravi mihi amicum. Hunc cum audirem frequenter disputare sapienter, mirabar eius ingenium; ex quo & ipse agnouit meum studium. Inter familiares autem confirmaciones, stylum eius agnoscens, & propositū fixum animo tenens, postulavi ab eo, quo pro pignore amicitiae nouū patrono nostro librum minus pigritaret cudere. Quod cum ille renueret, quasi suae nō esset possibilitatis, & ego opponerē debitum caritatis, ipse verò maiori excusatione nostris id melius assereret cōuenire, & è cōtrario referre, pene esse naturale ciues ciuib⁹ inuidere; tandē victus, voluntati meae, imo B. Emmerāmo animū subtrauit. Ut autem acceleraret me rogante, respondit serena fronte, Summa diligentia in laribus probandum, quod extra parietes multorum oculis foret praesentandum. Hac, ut opinor, occasione tribus annis opus mihi charissimum remansit imperfectum, dum temporibus HENRICI Augustissimi esset ceceptum. Regressus ergo ad monasterium è SAXONIA, ferebam mecum beatissimi Martyris hymnum, quem mihi pro arrabone libri saltim vel versiculum poscenti, praefatus magister metro composuit Saphico. Demum CHVONRADO imperante, & nihilominus HEINRICO filio eius regnante; GEBERARDO autem secundo RATISFONENSEM Ecclesiam regente, in aduentu vestro, sapissimè optatus atq; diu expectatus venit libellus. Cuius vniuersitas beato deputetur Emmerammo, materia CIRINO, renouatio MEGINFREDO, exactio peccatori ARNOLDO; vsus, oculum inuidiae non habentibus; vitae praemium, omnibus, eiusdem dilecti DEO Martyris memoriam excolentibus. Pro cuius cultu mea exhibitione modico, debito sui permagno quid mihi acciderit vel qualis consolatio euenerit paucis

paucis edicam. Erat quædam necessitas, pro qua in PANNONIAM me direxerat meus Abbas. Cumq; periclitarer sæpius in profundis DANUBII decursibus apud POGICAM charybdin, vbi videtur mortis esse hospitium; maximū experiebar periculum. Ibi enim nauē maiores arripientes remos, quasi viribus suis nauim euecturi de abrupto fluminis, in tantam venēre desperationem, vt mutuo se intuentes, ac nec mutare valentes, præ timore mortis penitus irriguissent. Tunc osculatus CRVICVLAM, quam habui ex ceruicibus pendentem, reliquias Martyris de cambota continentem, cogitationes huiusmodi intra me voluere cœpi. Putas ne late notus patronus, hodie pro salute hinc experient? Mox nauis ceu aliquo minitāte tremefacta, & interitus puteo eiecta, renatabat, nemine ducente, imō domino regente. Tum cursu prosperato tertia die aduehebar PANNONIÆ solo. Qua me ANASTASIVS Archiepiscopus cæteris suscepit humanius, & affatur familiarius. Is cum beati Emmerami veterem illum & viciatum legeret librum, materiam probavit cum sententijs; sed harum seriem cum veste reprehendit pondere rationis. Apud quem sex hebdomadas manens memoriæ sanctissimi patroni antiphonas aliquantas cum responsorijs composui, non tam fretus ingenio, quam dedito laudibus Martyris animo. Has præfatus Episcopus monachos & clericos suos fecit discere, & in Ecclesia die ipsius natali publicè celebrare. Secundū quod scriptum est: Recedant vetera de ore vestro: deponens veterem illius cantum, quem nostri potius cantant ex antiquitatis vsu, quam vllō auctoritatis ausu. His ita equidem gestis in PANNONIA, & legatione, pro qua directus eram peracta, NORICVM repetij, & in eareuisens RATISBONAM satis charitatiue suscipiebar à fratribus, quibus & hoc dignetur reddere dominus. Hic cum de sancto Emmerammo

i. Reg. 2.

B

dulce

dulce clarumue quiddā aut audire aut videre summo desiderio quærirarem, per somnum visionem accepi talem. Beatus Emmerāmus pallio quasi viridi velatus, meridiana parte ante fores Ecclesiæ, videbatur mihi iacere in lecto bene ac decenter ornato. Quem vt fratres Ecclesiam intrare volentes viderunt, timore perterriti recesserunt. Ego autem solus relictus adeò fui curiosus, vt ad gradus, iuxta tres arcus, flexis genibus in eum intenderem, donec vultū detegeret, ac latino sermone diceret, Tibi cōceditur videre faciem meam; quia in laudibus meis sudasti. Cuius cum viderem, valde candidam & splendidā faciem, nullatenus dicere possum, quā magnum cordi meo fuerit iubilum. Hoc tantum tacitus mecum reputabam, Fortassis in die nouissimo pro me dicitur est Christo, Da mihi hunc peccatorem. In quo tunc experrectus, & adhuc, vt fatear, nequam ac nō rectus, ne iocundæ visionis gaudia, præpediant peccata mea, apud eum cuius melior est super vitas misericordia, obtinere cupio prece vestra, nec non patrum & fratrum oratione continua. De cætero quod instat, epistola conclusionem postulat; in qua vos ignorare nolo, quod antiquo operis huius scriptor librū suum finit in eo, quod volumini de miraculis beatissimi Martyris, hoc & anterioribus tribus diligentia mea enucleatius positus, pro capitulo datum est quarto. Quæ verò sequuntur auctoritate vestra cōtra emulos defendēda, humili adscripti studio, vno tantum ordine præpostero, ob similitudinem rei interposito, pro memoria mei, & eorum, qui mecum in monasterio memores esse potuerunt factorum ob Christi Martyrem signorum. Ad quæ & ad cæteras eius laudes propagandas, Vita vestra vigeat; Dignitas polleat, Paternitas valeat, Dño donante, Amen.

EXPLICIT EPISTOLARIS APOLOGIA DE RATIONE VEL
VETERVM IMMYTATIONE.

Psalm. 62.

INCI.

INCIPIT EPISTOLA ET PRO-
LOGVS, MEGINFREDI PARTHENOPO-
LITANI MAGISTRI ET PRÆPOSITI AD AR-
nolfum S. Emmerammi Monachum eundem
& Præpositum atque Ma-
gistrum.

*RARISSIMO SVO * A. M. SALVTEM*
IN CHRISTO.

* Arnolfo Ma-
gistro

SANCTORVM dicta, quæ videntur simplicia,
viuifico fecunda spiritu, pondere veritatis reli-
giosa, non illice compositionis sunt astu pompo-
sa. Quæ quando incommutabilium sunt signa virtutum,
neq; fauor eis nutrit meritum, neq; indignatio detrimen-
tum; quibus velut ex sanctitate fluxit dignitas, ita ex re-
rum existencia venit integritas: quorum sicut compositio
spiritualis, sic potentia mirabilis, dum per eadem locu-
tionis membra & ad genituram imaginis DEI gremiũ fidei
maritat, & per fidei sinum indurat. Vnde conicere pos-
sum frater, quàm vera debeat sanctitati religio, quàm
sancta veritati confessio; ne videat vel in spiritum esse præ-
sumptor, vel in simplicitatem impostor. Sed quia mihi
dilectio tua pondus imposuit, quod beati Martyris & Pon-
tificis Emmerammi desiderio libenter subiui, & ab ipsius
sanctitate & sanctitatis eius scriptore veniam quæro; qua-
tenus illius me reuerentia cultorem, istius sapientia di-
gnetur imitorem. Equidem si sanctorum gesta non pos-
sumus imitari, licebit saltem meditari, licebit mirari,
quod volumus, vt quandoq; liceat velle, quod miramur.
Non enim est circumscripta diuina misericordia, quæ
iuuat etiam vbi nulla sunt merita. Proinde flagito quate-
nus

B 2 nus

nus orationi meæ succurras, ne vel professio mea debilitata succumbat, & per occasionem imperitiæ, pia voluntas inuidiæ dentes imbuat. vnde & tecum latere desiderat, ne in publico erubescat. EXPLICIT EPISTOLA.

INCIPIT PROLOGVS.

MILITIAM Christi licet varius pugnandi modus exerceat, diuersa triumphandi gloria coronet, par est tamen disciplina, similis affectus, eadem forma; quomodo sui Regis impressi patientiæ sigillo, ad ipsum inrequietis anhelantes animis similitudinē suam, ad vnam faciem primæ pietatis instaurant. Vnde Patriarchæ & Prophetæ latores legum, victores Regum, Ecclesiam noui Testamenti per mediatorem Iesum Christum, in vnum corpus aduniendam benedicendo, piæ proles successionem sancti Spiritus oraculo & veræ professionis organo de longe salutant, vt varijs aut verborum, aut rerum ostentis exprimant, quos sibi videlicet moribus concordēs futuros esse præuiderant. Inter quos & sanctos Martyres per exemplum præteritorū, aliqui ita describunt, vt sole luceat splendidus, quod in omnibus vnus fuerit spiritus. Hi ergo per contemptum cognati doloris & amaræ necis, ad thronum æternæ charitatis familiarius aspirant. nam inter cruciatus libera spei contemplatio, pro difficili conditione processit ad altitudinem gloriæ. Quare si ab illis tantum venerationis habuerunt, cum adhuc non essent; quid à nobis habituri sunt, qui doctrinis eorum & exemplis instituti cotidie patrocinij fouemur. Ex quibus beatus Pontifex Emmeramus, auream in seculo famam dereliquit, qui pro fratre suo pretiosum sanguinē fudit. Et vt duplex pietatis foret auctoritas, crimen alienum innocentia suæ imposuit, quatenus eum liberaret à morte corporis, quem antea sustulerat

lerat ab interitu mentis. De cuius moribus, certamine, triumpho, & meritis, quod scriptis & recenti memoria nobis potuit peruenire, futuris temporibus prouidemus. EXPLICIT PROLOGVS.

INCIPIVNT CAPITVLA LIBRI.

- | | |
|--|-------|
| Q UOMODO beatus Emmerammus apud Pictauium nueritur, ac literis eruditur, & vniuersis factus est amabilis. | I. |
| Quod post pueritiæ flores, & adolescentiæ bonos odores promorum maturitate sublimatur episcopatus dignitate. | II. |
| Qualiter semetipsum palastra virtutum exercuit & subditis & ceteris harum exemplar demonstrauit. | III. |
| Quia non contentus cura ouium commissarum alias duxit in ouile Dominicum, & insuper pro nomine Christi desiderauit peregrinari. | IV. |
| Quod post nobilem animi disceptationem exul veniens in Basoariam intrauit Radaßonam. | V. |
| Quod à Principe Pannoniam petendi licentiam postulauit, & hanc non obtinens dispositioni diuinæ animum supposuit. | VI. |
| Qualiter Noricam adhuc in fide nouitiam excoluit & post eriennem in ea laborem Romam ire disposuit. | VII. |
| Quod dominica dilectionis exemplo alteritatis onera suscepit, & per Spiritum prophetiæ Ecclesiasticis ventura prædixit, sicq; iter suum Romam direxit. | VIII. |
| Quod Ducis filia est sceleris publicata, & quia Lampertus virum DEI est persecutus, pro inobedientia multatus est grani sententia. | IX. |
| Quod Præsul almus celebrat hymnos, & sermone confortat discipulos. | X. |

- XI. Quod Tyrannus Sanctum DEI merdaciter excipiens, tradidit suis puniendum, & de fuga comitum.
- XII. Quod vir DEI membratim seclusus est, & quod duo è carnificibus per penitens cor saluati sunt, & Vitalis Presbyter.
- XIII. De miraculo in membris viri DEI facto, & exitu Sancte Iulii anima, & quod apud Aschem sepultus est, & de natura orbis mutata.
- XIV. Quod per reuelationes ordine mirifico ad Hiatoscopolim id est Ratisbonam, est translatus, ibique honorifice est humatus, & quia pax aetheris redijt.
- XV. Quomodo hi tres interierunt carnifices, & eorum dominum qualis poena ceperit, seu qua miseria posteritas eius affecta sit.
- XVI. De miraculis locorum sectionis & vocationis.

INCIPIT LIBER DE VITA ET VIRTUTIBVS B. EMMERAMMI.

CAP. I.

ST in Aquitaniae partibus vrbs virorum illustrum titulis celeberrima, nomine PICTAVIS, in qua B. Emmerammus sine Christianorum parentem est nutritus, & ad discendas sacrae institutionis literas scholis traditus: vbi quam docilis fuerit, finis disciplinae, virtus, & virtutis socia dignitas ostendit. Nam in ipsa simplicitate, sic puerilis collatio mentem ad alta scripturarum suspendit, vt cunctorum aestimatio, quid esset futurus, praesagiret, cunctorum oculi notarent, omnium affectus diligeret. Hic tamen oblatum ex patria, fauor, sic ab eo prudenter accipitur, & acceptus augetur, vt nec humilitas minueret gloriam, nec grauitas excitaret inuidiam.

Suc-

II.

SUCCESSIT igitur in tam perspicaci puero felix adolescentia, & incrementa temporum florent incremento virtutum; & præuenit virum maturitas morum, nam collatanea teneritudinis eius prudentia facile suadebat iuueni, rationis pondere, transitorium omne quàm fuisset leue. Vnde factum est, vt nec ad spem & gaudia mundi inclinaret oculum, tristitiam quoq; vel metum nullius haberet pensi. Quare fuit & in correctione amicorum liber animus, dulcis exhortatio, moderata locutio. Tum præterea pretium cordis, commédatur pulchritudo corporis, & suauissima dona sapiétia præbuit ex honestissimo ferculo. His ornamentis conspicuus, per Ecclesiasticos gradus ascendens vir Dei, post dilectionem meruit reuerentiam, donec disponente Dño, consensu cunctorum, morum custos & exemplum vitæ ordinatur Eps.

III.

DISPOSITA verò in sublimi lucerna, quibus radiis effulserit, qua serenitate patriam illustrauerit, omni orationi materiam dabit. Igitur & quis erga seipsum, deinde qualis ad subditos, & ad cæteros fuerit proloquamur. Duplicem custodiam corpori, duplicem menti disposuit. Nam ne lex corporis eneruaret legem mentis, & plena voluptas exhauriret vbertatem cordis, continuo ieiuniorum & vigiliarum præsulatu præuidit. Porro lectionis & orationis vicaria successione, & expatiantis animi discursus inhibuit, & suggestionis aduersæ militiam exclusit; & inter agendum quid, solennis ei semper ad vtrumque fuit opus psalmodiæ dilecta materia, sane singularis pauperum thesaurus, pupillorum pater, refocillatio senum, viduarum vnicus, desperatorum spes, medicina languentium, miserorum confugium, sic hospitalis, vt neque manum à munere domus exhausta retraheret, neq;

neq; frequentia frontem rugaret; dum venientibus & anima deliciis affatim, & naturæ debita præberet. Ad excubias commissi gregis peruigili sollicitudine porrectus, aditum tetra rapacitatis ita pastoralibus armis obsedit, vt per vicos singulasq; domos fidelium cœlestis discursus sideris tenebras reuerberaret & erroris,

IV.

Nullus erat læuistam vilis, nulla persona tam humilis, quocum non declinaret salus animarum, redimentē tempus ne ad horreum domini vacuus rediret. Sufficeret hoc quibusdam non immeritò, si circumscriptum sibi terminum cultura sacerdotali tam diligenter ambiret, verum illi tanta sedulitas dominicæ messis inasfit, vt adiacentes GALLORVM aliarumq; gentium prouincias ad littus solidæ conuersationis hamo Petri attraheret. Quapropter frequentabant sedem eius religiosæ simul & indifferentes personæ complures, quas odor aromatatur eius à remotioribus locis adduxit, quibus fidelis dispensator ad mensuram cuiusq; depositum suum prudenter distribuit, vt non minus de illo quam de alijs apostolicis viris dici posset illud psalmi: Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ. Nam candens amoris igne superni dum in colligendis animabus singulis paucitatem fructus ad magnitudinem voluntatis excreuisse non cerneret, & indignatio secum reputantis studio suo nullius momenti donaret pretium, inter angustias disceptantis conscientia perlatum est ad eum, AVARES, quos alijs nominibus HVNOS & VNGROS appellamus, Pannoniæ incolatu idololatriæ squalere veterno, & in luce multarum id locorum gentium, hanc solam veritatis diem nō habere. His auditis tanto compassus animarum dispendio, ægritudinem cordis spe recuperandæ gentis interdum leniuit, interdum difficultates itin-

rum,

Psalm. 76.

rum, peregrini mores locorum, affectus eorum, quos relicturus erat, respectus infirmitatis humanæ, pedem aliquantulum retrahunt ab inceptis. Porro facultatem oblata sibi, cum in sarricida deceptę gentilitatis humo fidei sarculo vteretur impigre, nec posse nec oportere negligi putavit, quando & ipse hoc sæpe optauerit, vt pro amore fraternitatis & DEI, periculum subiret.

V.

Vicit ergò in optimo ingenio, & ardua via, & potior causa: nam constituto pro se examinatae personæ viro, ipse ad noua tyrocinia strenuus miles succingitur; Et adscito inter alios necessitatis suæ comites, quia linguam TEVTONICAM non nouerat, VITALE quodam presbytero interprete, perrexit; in Barbarie disciplinam, in exilio patriam, inter immanes cognationem facturus. Quæ omnia licet prius bene tenuerit, melius tamen dereliquit; & quæ sine appetitu iucunde licerent, abdicata iocunditate cum licentia, ne vbi rerum præsens affluentia thesaurum beatæ remunerationis obæraret, pauperes diuitias diues pauper exposuit. Inde viam ne quo pigresceret otio inrequietus agricola præsumit, & GALLIAM, qua tendebat iter, & RHENI fluminis contigua, plantis verbi DEI filuescere & insitiam noui hominis gemmam, protoplasti emortuo stipite, frondescere ipse quidem studuit; sed incrementi datorem Christum operis summa comprobauit: quippe qui, vbi DEI scientia meritis accessit, sobolem regenerationis edidit. Hoc igitur modo fidelis in BARIOARIOS fines, qui meridiem versus, ALPIBUS; ad orientem VNGRIS; ad aquilonem verò HIRCANO nemori limitem GERMANIÆ protendunt, non hac conterritus meta, deuenit. Vbi cum defluentis HISTRI fluminis imperium sequeretur, RATISBONAM accessit urbem

C

quæ

quæ olim totius Germaniæ, & nomine & dignitate Principum, & adhuc eiusdem gentis metropolis, antiquæque profapie caput, aduentu beatissimi sacerdotis ornatoribus illustravit fastus & insignia victoriosæ gentis triumpho concepta, nouo pacis præconio in melius commutata, fidei spolijs & ornatu sanctæ religionis ampliavit.

VI.

Hæc in m. s. alia litera in margine adscripta fuerat.

Hæc est ciuitas, quam olim Teutones à Germano sue Germanico Germanisheim vocabant. Huius vocabulum modernis temporibus lingua nostra Reganiskure teutonizat, quam antiquitas Romana, vt quidam scriptis testantur, Tiburniam vocabant.

VI.

Theodo Dux.

Huius monarchiæ THEODO Dux prouinciæ, qui tunc possedit, cõperto sancti Pontificis introitu, adhibitoq; conspectu, inter alia, quæ sit causa exilij, percontat^o est. Qui nomine & natione exposita, incolatû natiui liminis propterea deseruisse se perhibuit, vt Pannoniæ populos, qui gentili feritate adhuc effremuerat, conditori Christo reconciliaret, & in hoc proposito suam coniurasse sententiam, vt aut voti compos professio nê vitæ cum fructuosa pace finiret, aut de uoto certamine, sanguinem Martyr effunderet. Ad hæc diuino consilio præuentus, Dux inquit, se tam pio studio nihil opponere, nihil tantæ virtuti resistere; nisi quod cõmeandi facultatem impossibilitas quædam obstrueret, propter discordiam scilicet, & longam inter se & AVARES bellorû controuersiam, fines in vtroq; limite desertos, ita vt circa ANESIM fluuium vrbes & loca olim cultissima, tantis bestiarum immanitatibus horreret, ne viantibus vllus transeundi aditus pateret: monere autem potius & supplicare, quatenus apud se suosq; B. Pater morari dignaretur, quos tam rudes & imperfectos in fide præteriri fas non esset: maximè cum istinecessarium optarent, & illi forte quasi superfluum recusarent,

Fines inter Vngros & Bosarios deserti.

cularent. Prouideret autem, ne indiscreta pietas præmium amitteret, si offerret inuitis tædium, qui volentibus poterat afferre præsidium: neue sic diligeret impios, vt negligeret pios. Vir autem DEI in sua sententia fixus, nullo nutu declinari potuit, vt aliud vellet, quàm quod cœperat; nisi forte cœlestis obuiaret censuræ contradictio. Quibus acceptis ducis prudentia populiq; frequentia cum exhortationes eius adientium mentibus & pabulum sufficere docilitate, & dulcedine desiderium conspiceret, salutem suam, quam supplicatione non poterant, violenter obtinuerant, & ex verbis Saluatoris, vim passum est regnum cœlorum. Nam *Matt. ii.* egrediendi prouinciam, ne beato viro occasio proueniret obstiterant; & bene præualuit humana præsumptio, quo ex fonte eius salutis ascendit conditio. At Pater sanctus, quem prohibiti callis iniuria conturbauit, æstimare cœpit, quid nam hæc iustę voluntati difficultas obuia portenderet; maximè cum è sinu veritatis strenuis votis placabilis promitteretur effectus, quem ipse quoq; non infirma fide prosequeretur. Hæc agitantem subit exemplum Apostolorum, quos aut responsis, aut difficultatibus superna moderatio nunc & ad quasdam gentes misit, nunc à quibusdam prohibuit. Gratulatus ergo, supernæ dispositioni supposuit animum, & gentis studio præbuit consensum, & in altari obedientiæ DEO consilium salutis oblaturus, mutua se charitate populo deuinxit, cuius deuotioni conflictum ministerij sui etiam vitæ periculò diffiniuit.

VII.

Erant autem memoratæ ciuitatis & patriæ totius accolæ affluentia quidem mundanæ felicitatis illustres, sed nouiter ad fidem adducti, delusæ vetustatis fructus nondum radicibus extirpabant, & consuetudinem

C. 2

tenaci

tenaciter hærentem ignorantia fouit. Ad quod opus omnia ferramenta Christianæ religionis robustus cultor succingitur, & excisis inutilibus paganismi surculis, erigitur sacramentum fidei, quod vniuerso iustitiæ flore distinguit. & quoniam magnam circa perficiendam Deo plebem solertiam habuit, lucidissimo conuersationis exemplo formam viuendi præbuit, & suauissimo loquendi modo edocuit. Vnde non sufficiebat tam ardenti lampadi normam prædicationis cõmuniter exhibere, quin omnium mores notauit, omnium ingenia discussit. Deposita non auctoritate, sed rigiditate, ad intrandam cuiusq; priuati domũ, reuerentiam Episcopalem humiliauit. In Ecclesia, quæ communia fuerũt ordinauit, apud singulos de proprijs admissis disceptauit, & cognoscere suos, & à suis cognosci, sicut pastor bonus maluit, ne taciturnitas vitij permitteret assensum, perurgeret interitũ. Itaq; nemo subditorum eius erat, qui vel de actibus vel à verbis magistri, lineam rectitudinis non traheret. Proinde celebris illi fuit contentio sobrietatis cum sobrio, extenuationis cum humili, liberalitatis cum omnibus. Verum in contumaces magnanimo conatu surrexit & superciliosæ procacitati virgam auctoritatis intendit, spem votis proponens, vt in hac area certaminis per diuersum agonem, quandoque perueniret ad palmam. His & horum similibus per triennium fines Baioariæ perlustrans, ad laudem cœlestis patriæ non vltima pars accessurus, per spiritum, qui loquitur ad cor Hierusalem ad litus æternæ quietis tempora sua iam iam declinari præsensit, & vt iudici pulsanti expeditius aperiret, per uigili custodia insidiosum tempus expectabat, ne moram faciente sponso, fragilitas obdormiret humana. Et quia nouerat fatigatione corporis excitatiorem animum reddi, & in negotiis honestæ sollicitudinis minus obrepere somnum.

num pigredinis, tum præterea quatenus in via bonæ intentionis cum fraus inimica calcaneo calceatum & cautum offenderet, licentiam à Duce pariter & populo quaesivit, quatenus Romam ad beatorum limina Apostolorum ire permitteretur, cœlestis aulæ ianitorem, ut * pulsationem suam intromitteret supplicaturus.

* al. supplicationem.

VIII.

Sub idem tempus inuida pars supremo congressu tanto periculosius conflictura, quanto gloriosius erat vincenda, subdola occasione nacta, tale pugnandi genus inuenit, ubi aut viscera charitatis occludenda, aut infamia sacri ordinis, in Ecclesiæ scandalum, foret impudenda. Nam supra memorati Principis filia, nomine VTA, à cuiusdam Iudicis filio SIGIBALDO compressa, consuetæ turpitudinis maculam vtero ingrauescente, detegendam non solum generositatis dano, verum etiam mensura mortis ponderabat. Quid facerent? quod consilium caperent? tempus urgebat partum, & culpa minabatur interitum. Superant sola in beati Emmerammi & pietate fiducia, & in sanctitate cōsilia. Huc desperatio pallida prouoluitur. pates osculando demulcentur, crimen exponitur, venia rogatur. Postremo de vitæ remedio pia paternitas consulitur, tantoq; extitit querelantium modus flebilior, quanto de admissis pœnarum opinio præsentior. Horum beatus Pater acceptis gemitibus compati cœpit interius, & licet parturiret spiritum doloris, obfirmavit tamen delictis faciem arguentis; læsum quippe ingenuæ regenerationis pudorem referens magis erubescendum & æternam iusti iudicis animaduersionem vehementius esse pertimescendam, maxime cum huius temporis supplicia sicut quantitate, sic etiam ab æternis diuersa sunt, qualitate. Proinde sicut mos est pœnitentibus viam recon-

ciliationis ostendit, ipse alto dilectionis consilio alteri-
 tatis onera suscepturus, mandauit secretius, vt macu-
 lam hanc in se transferrent, quo facilius furorem ducis
 euaderent; quem nouerat inexorabilem, cum ignomi-
 nia cumulare dolorem. Sed ne pietati prouidentia de-
 esset, & innocentia muta fidem & exemplum culpæ do-
 naret, si alieno crimini sternens humeros, in offendicu-
 lum sui sileret, testificatæ veritatis & veræ æstimationis,
 virum VVOELFLAICVM quendam Presbyterum fami-
 liariter adsciuit, cui secretum suum, quatenus diuina
 reuelatione nouerat, cautius exposuit. nam dixit arti-
 culum vitæ præsentis propter crimen alienum diuerso
 se cruciatu egressurum, & pœnas pro quadam ficta cul-
 pa se laturum: rogauitque vt post obitum suum cunctis Ec-
 clesiæ gradibus denunciet, nequis fidem huius infam-
 iæ de eo contendat habere, & imitaturus exemplum
 impingat offendiculum, se autem viuo omnibus hæc ef-
 se cælatum persuadet. Quod ille dem Presbyter ita vt
 iusserat, testimonium innocentia eius & fideliter ta-
 cuit, dum debuit, & aperte prædicauit, cum decuit.
 Post hæc DEO dignus, accepta licentia Principis &
 populi optatam arripuit viam, & vt par fuit, curâ iusto de-
 ducitur affectu. nam ex tota vrbe vtriusque sexus ef-
 fusa multitudo precibus lachrymisque prosequitur eun-
 tem, & in omnibus mensuram doloris expendit præ-
 tium acceptæ charitatis, cum & diuites, cum pari-
 ter & minoris fortunæ populares aut amouendæ pa-
 ternitatis damno gemebant, aut pro reditu ei vota ge-
 minabant, & ab vno dilectionis fonte lachrymarum du-
 plex inundat materies, mixtamque vim luctibus, & de re-
 ditu dubia spes, & de abscessu tristitia præsens admini-
 strat. Hos ille, sic vt nouerat pius pastor, amplo com-
 men-

mendationis ordine demulcet, & salutatis omnibus, viam ingreditur.

IX.

Quo longius procedente, supra dicti ducis filia commissi sceleris publicata, & ante patris tribunal constituta, de auctore tam solennis iniuriæ conuenitur. Cumq; diu, scemineo metu, spiritus obstupesceret, & alternante timore pariter & amore lingua hæreret, arguentium impetu coartata, in innocentis Episcopi personam dedecus suum coniecit. Quo pater audito, tanto vehementiori indignatione flammescit, quanto altioris dignitatis fastu intumuit; acceptoq; mucrone ad extinguendam propriam sobolem ruit, perficeretq; facinus, nisi manus assistentium puellam imminenti periculo subduceret. Prosequitur autem tantum sententia furorem sæua, nam ex hæredatam in AVSONIÆ longinqua relegat, perpetuo puniendam exilio, quam nunquam miseratio paterna reuocauit: quia inconsolabilis est dolor, quem altus nutriuerat pudor. Huic iudicio LAMPERTVS puellæ germanus interfuit, quem grandis, pro confusione sororis, inuasit tristitia; & quod iuuentuti familiare est, pro falsa fide cœpit cum temerarius furor. nam mixto dolore postquam bestialiter effremuit, iram subit amentia, fletuq; deposito profilit ad vindictam. Sumpto itaq; comitatu non pauco, properat virum DEI persequi.

X.

Interea sanctæ memoriæ pater trium dierum cursum explicuit, & in vicum quendam HELPHANDORF nuncupatum, vbi fons perspicuis manabat aquis, morarum causas innectit sociis, inuenta gerendi quilibet occasione. Mens enim diuino amore lustrata, vbi certaminis campum inuenit, in aduentum temporis, arma fidei, & constan-

constantia, spei, & orationis opera, subornauit, ita ut stu-
por discipulos inuaderet, tantum quod Pontificem gra-
uaret. Igitur circiter horam diei tertiam celebrante illo
canonicos hymnos, & debitum officium sub sanctarum
testimonio RELIQUIARVM soluente, iuuenis praefa-
tus superueniens praecipitium cordis vesano tumultu de-
signauit, nam multitudinis arma collisa, minaciter in-
quirir nomen Pontificis, comitatu eius magnum pauorem
incussit. Vnde festina trepidatione, sicut fit, ad hostium
domus occurrentes, postquam habitum furoris & turbam
cognouerunt, illum hae inimica intendere timidi praen-
untiabant. Quorum ille paori ex arcano solidae spei
retulit orsa, dicens: aduentum eorum non afferre sibi ti-
morem per quem & molestia pereat, & gaudia sine fine
succedant. dolorem corporis, qui momento pertransit
esse breuem, & poenam, quae vitam perennem affert ef-
seleuem. Discrimen est, inquit, paruum, mortis huius
hora, quam bonae fidei pectus dum patienter excipit a ter-
nitatis desiderio transilit. Vnde videndum est ne nos ti-
mor stangulet ante quam timoris causa conueniat; cui
si manus dantur, periculosius punit, quam interemptor.
Hic etenim ex aduersa militia tetricus pariter & turpissi-
mus profigitor; quem ille ceperit, antea moritur quam
puniatur. Moritur, inquam, non solum turpiter, verum
infeliciter, quia & sponte simul & sine spe tollitur. Qui
enim diuersa pati pro iustitia diffidit, & sine fide moritur
& sine fine punitur.

XL

Hae eo prosequente funestus irrupit Iuuenis, & ut in
ea domo lapis iacuit, super eum baculo inclinis stans, addu-
ci sibi beatum Emmeramum turbulenter proclamat. Quo
adducto ardentibus & oculis & animis exceptum morda-
citer

citer irridens generum appellat. Quod Dei sacerdos iusta detestatione cum denegaret, ille prosequitur, ira cōtumaciam dispumante & ignita iaculatur opprobria, tandemq; intulit: Ruinam nostræ domus sustulimus, calamitatem nostram proueximus, incendium gloriæ nostræ in sinu fouimus. Ut quid ergo patri filiam, mihi sororem meam fœdisti? Plena libidinum tuarum virgo regia, dedecus generis & damnum pudoris exposuit. Risus hostium, moeror patris, luctus fratris, pignus nobile damnatur vt scortum. Hoccine est Episcopum esse? Hoccine est amicum esse? Hoc est testimoniū religionis: Hoc indicium pietatis tuæ? Hanc gratiā meritis nostris rependis? qui te aduenā & egenū nostris bonis in reuerentiam totius populi ædificauim⁹. Sub hæc miles Christi; Immo, inquit, filiā aliam & longe dissimilem gratiā & vestra merita, & nostra voluntas exquirat. Proinde bonæ spei, bonam fidem habere debuisti: nam illa suspicio non probatur, quæ neque fidem trahit à præteritis, neq; causam habet ex meritis. Cur enim bene merentibus obessem, qui vel male merentibus sæpè profueram? Proinde tu, quem neq; propter minas timeo, neq; propter timorem, moneo depone pertinaciam, differ animum suspicionis, & redi ad experimentum veritatis, ne propter temeritatem tuam incurras in exitium. Ad limina sanctorum Apostolorum Romam ire decreui, vbi cathedram Petrus habuit, quem in Ecclesia sua censorem veritatis veritas ipsa disposuit. Huius Vicarius sicut ab eodem loco & ordine trahit honorem, sic ab eadem tenet auctoritatem & eius iudicium non fallitur, quod auctore Christo solidatur. Ibi ergo vel per te vel per nuntium canonicæ examinationis pondus de obiectis experiri licebit, quatenus obligatus aut absolutus inueniar: Accepto autem mansuetudinis oraculo, vim animositatis cæca tyranni præsumptio
D furore

Math. 26.

furore laxabat. baculumq; , quem manu gestabat, tanti patris in pectus impegit, & non reueritus templo Domini funestas iniicere manus, socios nefandis instigat vocibus, quatenus vinculatum deformiter traherent. Factumq; est sic, vt assentatio semper decliuem tyrannis impetum facit, vt à militibus illico vallatus, & religionis vestibus exutus, in hospitio ipsorum super scalam funibus stringeretur. Hoc ausu tam scelerato perterriti comites sancti viri, diffugiunt. exempli maioris imagine, propheticum implentes præfatum, quo dicitur: Percute pastorem, & dispergentur oves gregis. Pretiosus autem Christi Martyr, olim deuotam animam oblatum iri Deo perpendens, quanto arctiori discrimine confligendum sibi cognouit, tanto attentiori sollicitudine, ad victoriæ suæ duces Christum se contulit, foris patientia, precibus intus armatus, toto videlicet spiritu illi inhærens, cuius amor animum deliniret, dum crudelis pœna corpus laniaret.

XII.

Interea quinque carnificibus ad secandum membratim atq; articulatim tanti sacerdotis corpusculum, vt bestialem tyranni animum multiplici vulnere pascerent, electis, diuisa est sententia tortorum. Quippe duo ex ipsis, detestantes tam crudele officium, veniam postulabant, ne pro illo facinore puniret eos iustitia, ad quod non voluntas, sed Domini sui cogeret sæuitia; Cæteri verò vana pro veris æstimantes, Manus, inquit, impudicè mulieribus insertas, ad deterrenda incestorum facinora præcidi oportet. Itaque digitorum articulos vulneribus numerant, & simul nata diuidunt, per tempora morti moras facientes, vt amarior per tormenta veniret. Sed cur moratur hîc facundia, vbi locus est voci suspirijs interclusæ, non compositionis arte depictæ? Ergo pedibus & manibus abscis-

abscissis, luminibus effossis, auribus amputatis, naribus truncatis, tandem pudicitia Martyris est inuasa, & secreta pudoris detestabili sunt acie recisa. Inter quæ omnia in laudem Creatoris, vox quamuis modica, Dauidicum melos exercuit. Quo ipsi inuidentes linguam radicitus euulsam rescauerunt, relictoque tam multipliciter cæso recesserunt. Ipse verò DEI bellator in eodem victoriæ campo cruore inuoluebatur, donec socij beati viri è lateribus & angulis emerfi, cum vicinis mulieribus causa humanitatis excitis, aderant. Quos adesse cognoscens, aquam ad refocillandum pectus requirit. Cui VITALIS supradictus Presbyter: Mirari satis nequeo, cunctis pene membris amissis, atque ipsum lucis limen egressurus, quid nam potum exoptes; quasi dilaniatæ morulis vitæ fruiturus, cum tot cruciatibus exhaustus, finem doloribus, potius quam spatium exoptare deberes. Ad hæc athleta DEI tam magnus ad prosternenda in subditis vitia, quam inuictus ad patienda tormenta, spiritum collegit, & animosam virtutem rationis, paruo quo potuit corporis nisu erexit, temptatum robur mentis grauius ferens, quam membrorum sectiones, Impatientis est, inquit, cogente dolore, quem piam velle metas vitæ præsentis erumpere, & concessam pœnitentiæ salutaris hostiam fastidire, cum è cõtra magnæ sit obedientiæ, sententiã Iudicis expectare. At quomodo graue est pigritiæ tuæ, officium nobis humanitatis & exhausto tormentis pectori refrigerandi copiam præbere? dies tuos hæc exactio torqueat, vt quotiens cuiuslibet generis potum sumas alienationem mentis incurras, nulli periculum laturus, sed exemplum inobedientiæ hoc typo laturus. Cuius sententiæ vim idem VITALIS multis, quibus postea vixerat annis, expertus est. Nam quoties aliquem gustabat potum, illico mente captus per vrbs plateas

D 2

perq;

perq; loca petrarum abrupta, & monumenta mortuorum discurrendo terribiliter perstrepebat, & tamen ita stupidus, nulli fuit periculofus. Sæpè quoq; sic euagatus est, vt per cacumina turrium curreret, & præcipitium minime toleraret. Cæterum vir idem callem piæ conuersationis rectè gradiebatur, & Missarum Officia cæteraq; Ecclesiastica strenuè peragendo, charitatis munia cuncta, quantum valuit, adimpleuit: hoc tantum solum vsq; ad finem vitæ, vt nobis æstimare conceditur, & pro exemplo & pro humilitatis custodia, pertulit,

XIII.

Interea locorum incolæ pretiosa Martyris membra humanitate compuncti in arborem, quæ SPINA ALBA vocatur, collecta, dum conderent, conditisq; non diu recessissent, duo pulcherrimi viri antea non visi viam regiam equitantes de utroq; arantes latere, pro mēbris beati Pontificis, vbi posita fuissent, conueniebant. Quibus in arbore prædicta monstratis, videntibus cunctis, illuc peruenientes, subito non comparuerunt. Hac disparitione, qui præsto fuerant omnes stupefacti, ad arborem illico conuolantes membra paulo ante posita non inuenerunt; factiq; sunt huius rei testes & noticia & nouitate penè oēs, qui eiusdem loci fuerant habitatores, consulente diuina dispositione membris illis pretiosis, quæ non amittit in sanctis etiam capillum capitis. Dum hæc geruntur, qui circa Sanctum Dei fuerant, tollentes eum de certaminis campo, in plastro ponebāt, perducti eum in villam ASCEIM, quæ distabat inde 12. miliaribus, vbi & Ecclesia fuit B. PETRO Apostolorum Principi dedicata, ne in uilibus rusticorum casis, tanta talisq; persona deficeret. Proinde mulieres ex vicinia collectæ, & viri circiter ducenti, venerabiles

Luc. 21.

exc-

exequias prosequuti, viscera commiserationis vōtis indulgere fidelibus. Ementā iam magna itineris parte, in campum quendam gramineum tribus milibus distantem à vi-co A S C H E I M perueniebant: & ecce transmigraturus ad cœlestia beatus Pontifex voce qua valuit eiulare cœpit, innuens horamvocationis suæ aduenisse. Quod quidam commeantium subtiliter discernens, vt de plauastro leuatum Christi Martyrem dimitterent telluri, cum præmonuisset socios, mox herbido in aprico loco tremebunda religione resolui cœpit. In exitu vero sanctæ animæ illius de Ægypto huius mundi, lucem quasi lampadis immensæ ex ore sancti viri processisse, cœlumq; ipsum penetrasse, cuncti assistentes videbant, tantaq; vis iubaris erat, vt intuentium oculos quasi fulminando reuerberaret, pauorq; membra eorum tremore concuteret, vt vix beati viri corpus in plaustrum auderent reponere. Itaq; inde digna patre reuerentia ad præfatum A S C H E I M perductum in Ecclesia beati Petri Apostoli, confaudentibus eius loci populis, debito sepelierunt honore. Sed quoniam eius resurrectionis diem beatissimus Pontifex præstolari minime voluit, exigente iustitia, vt quos fidei gremio nutrierat, eis quoq; sacri corporis patrocinareretur reliquiis, cœpit orbis natura moueri, atq; elementorum violentia tanti sacerdotis nutum prædicare. nam coorta subito ventorum procella, lucida regio poli nubibus obducitur, & contenebratur cœli facies, mugitu tonitruī, fulguribusq; , mortalium corda terrentibus; dissoluto interim in pluuias & defluentes amnes aëre continuis quadraginta diebus.

XIV.

Tunc sicut in angustia semper humanum genus de insuetis attendit, & de periculis requirit, consulta est diuina potentia & pietas exorata, donec visu nocturnæ reuelationis

tionis declaratum est, deberi felices RELIQUIAS festinato ad urbem R A T I S B O N A M inde transferri. Vnde primates loci illius adunati, sublatum à sepulchro venerandum corpus ad I s v R A M fluium nauì impoferunt, accensis, iuxta religionis modum, careis. Ibi cum defluum iter, amne in propria ruente, sequerentur, per ostia ipsius ad Danubium intrauerunt. Inde contra ortum fluminis enitentibus, quod sine magno labore consuetudo naturæ non præstat, tanta celeritate res immobilis contra mobilem meritis Martyris propellitur, ac si velum ventus post flumen intenderet. Auxit hunc stuporem in eo comitatu res admodum mirabilis, sed tamē sancti viri moribus comparabilis. Nam sicut ille in hoc mundo conuersatus inter grassantis stultitiæ turbines, nec ignem superni amoris, nec veritatis lumen amisit, ita cædelæ iuxta sacrum illius corp^o accensæ tempestatum flamina atq; imbrium flumina iugi sereno despexerant, consalutantibus tam clarum signum, & coniubilantibus vtrisque littoribus. Hac alacritate urbem prædictam ingressi, obuiam habuerunt sacros cleri ordines, & præuia religionis vexilla, cū reliquo processionis ritu, principemq; THEODVM prouinciæ cum optimatib^o, effusa in aduentum sui patroni tota regione, quorum hymnisonis vocibus tellus videbatur esse concussa. Itaq; in beati *GREGORII Martyris Ecclesia, quâ ipse quondam orationū familiaritate frequentabat, sollempni celebritate composito truculentia furentis auræ quieuit reditq; pax ætheris & arbitriū luminis. Traditur autē firmatq; assertione probatur, quod in illa via, qua leuatus à nauì ferebatur ad Ecclesiam triginta signis diuina cum pietas CLARIFICARET.

XV.

Quoniam de exercitio certaminis Pontificis atq; triumpho cognita & credita contexit oratio, consequens esse vi-

*Georgij.

se videtur, quis rerum finis persecutores eius præsentia-
liter ceperit, enarrare; quatenus & hæc cognitio & fræn-
net improbos, & tueatur probos; dum non audent isti,
quæ volunt; & non patiantur illi, quæ non debent. Si-
cut superius diximus quinq; sunt electi, qui eum torque-
rent, ex quibus duos facinus terruit, tres verò & ad auden-
dum & ad perpetrandum scelus foris, imperium senioris
incitat, atq; insata medullitus iniquitas exacuit. Vnde ti-
midi duo illi, preces pro his fundente sancto Martyre, venia
donati, in pace deduxerunt tempora; reliqui verò intra
septē dies spiritui cui seruiuerunt in mūdo traditi, atq; horri-
biliter diuq; vexati, tandem quodam intempestæ noctis si-
lentio in desertum ruunt; vbi per loca confragosa & inac-
cessibilia lymphando perierunt: neq; postea aliquo in loco
vel viui, vel defuncti comparuerunt; duplici contritione,
sicut ait Propheta, contriti. Sed & LAMPERTVS eorum dñs *Ierem. 17.*
consurgente contra eum nata ex sceleribus suis occasione,
perpetuo damnat⁹ exilio, procul à suis digno despectu eua-
nuit; hac in posteros hæreditate pœnarū relicta, vt infra pau-
cos annos, immaturę mortis falce præcisi, penè omnis vita
difficiliter extorta, pro innocuo Martyris sanguine discer-
peretur. Qui vero superesse poterant, vel adhuc supersunt,
eadem infelicitatis forma miseram testantur prosapiam, &
calamitosam breuitatem imbecillis vitæ suspiriis debent
potius quam vñbus. Et quid mirum? si consanguineos e-
ius sanguis innocens tetigit, cū & ædificia ipsius secundum *Psal. 68.*
illud propheticum: Fiat habitatio eius deserta, & in taberna-
culo eius non sit, qui inhabitet, damna impietatis eius tu-
lerint; ita vt virgultis & vrticis ascendentibus ruinosa de-
formitate delapsa humana conuersatione sint incongrua,
damnabilemq; ac detestandum hominem, & iam insensibi-
lium neglecta figura declamet,

Dixi-

XVI.

Diximus de insensati hominis sedibus & loci ipsius ædibus, quia desolatione visibili testentur inuisibilem eius interitum: deinceps dicturi sumus ex aduerso, quanta gloria polleant area certaminis beati viri & locus vocationis, vt dum locorum illorum reuerentia prædicatur, quo incolatu martyris anima tripudiet, conuiciatur. Ergò vbi incisus est felix sacerdos, locum illum hæc solennitas colit atq; hæc immunitas tegit, scilicet vt in altitudinem cubiti vnus excretus eminentiâ sua, fidem ibi sperandæ veniæ petentibus promittat: Tum præterea nescit iura sæuentis auræ, neq; niue candescit, nec autumnio flaccescit; non hyeme gelatur, non æstu torretur; solum vernale decus, & semper virentia gramina, cespitem illum iucundum præbuerunt: vnde etiam fidelium plebs vicina, Ecclesiam ibi ob frequentes votiû congregacionis accessus, in honorem ibidem triumphantis Martyris construxerunt. Proinde locus vbi spiritus eius sydeream plagam adiit, multo tempore neglectui traditus, & pene obliuione obsoletus, hoc modo dignitatē suam vindicauit. Hyemali tempestate, sicut natura est GERMANIÆ, cum totam terræ superficiem niuium operiret immensitas, sola corporis areola tali conditione libera, dum prætereuntibus hac & illac miraculi sui stuporem ingessit, causam pariter suæ viriditatis, & memoriam obitus beati Martyris edocuit. Quapropter & ibi Basilicam posuit fides, quatenus efficacius animaretur spes, quæ in vtrisque locis ita votorum fructibus viguit, vt si numerari deberent, numerantis industriam premerent.

FINIS.

ARNOL.